

Manducaverunt omnes et saturati sunt.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

14, 13-21

In illo témpore:

- ¹³ Cum audísset Iesus [mortem Ioánnis Baptístæ],
secéssit inde in navícula
in locum desértum seórsum;
et cum audíssent,
turbæ secútæ sunt eum pedéstres de civitatibus.
- ¹⁴ Et éxiens vidit turbam multam
et misértus est eórum et curávit lánguidos eórum.
- ¹⁵ Véspere autem facto,
accessérunt ad eum discípuli dicéntes:
«Desértus est locus, et hora iam prætériit;
dimítte turbas, ut eúntes in castélla emant sibi escas».
- ¹⁶ Iesus autem dixit eis:
«Non habent necesse ire;
date illis vos manducáre».
- ¹⁷ Illi autem dicunt ei:
«Non habémus hic
nisi quinque panes et duos pisces».
- ¹⁸ Qui ait:
«Afférte illos mihi huc».
- ¹⁹ Et cum iussíset turbas discúmbere supra fenum,
accéptis quinque pánibus et duóbus píscibus,
aspíciens in cælum benedíxit et fregit
et dedit discípulis panes, discípuli autem turbis.
- ²⁰ Et manducavérunt omnes et saturáti sunt;
et tulérunt relíquias fragmentórum
duódecim cóphinos plenos.
- ²¹ Manducántium autem fuit númerus
fere quinque mília virórum,
excéptis muliéribus et párvulis. — Verbum Dómini.